Quelle: http://manuscripta.at/?ID=481
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

391

Theophili Presbyteri

breviarium omnium artium liber I. et libri II di priora (20 et unum) capita. Tria capita libri primi in 11 codicibus mss. huius operis [illegible] notis [illegible] f. XII [illegible] a. 1837 collata sunt [illegible] Guelferbytano [illegible] in Parisiensi deperit.

Incipit liber de diversis artibus et de temperamento colorum et nudis corporibus

c. 1
Color qui dicitur membrana, quo pinguntur facies et nuda corpora, sic componitur. Tolle cerosam, id est album quod fit ex plumbo, et mitte eam non tritam sed ita ut est siccam in vas cupreum vel ferreum, et pone super prunas ardentes et comburere donec convertatur in flavum colorem; deinde tere eum et admisce ei album cerosam et cenobrium, donec carni similis fiat. Quorum colorum mixtura in tuo sit arbitrio, ut si verbi gratia rubeas facies habere volueris, plus adde cenobrii; si vero candidas, plus appone albi; si autem pallidas, appone pro cenobrio modicum prasini.

c. 2
Prasinus est color quidam habens similitudinem viridis coloris et nigri, cuius natura talis est quod non teritur super lapidem, sed missus in aquam resolvitur et per pannum diligenter colatur, cuius usus in recenti muro pro viridi colore satis utilis est.

c. 3
Cum vero membranam miscueris et inde facies et nuda corpora impleveris, admisce ei prasinum et rubeum qui comburitur ex ocra et modicum cenobrii, et conficies posch, ex quo designabis supercilia et oculos, nares et os, mentum et fossulas circa nares et tempora, rugas in fronte et collo, et rotunditatem faciei, barbas iuvenum et articulos manuum et pedum, et omnia membra quae distinguuntur in nudo corpore.

c. 4
Deinde misce cum simplici membrana modicum cenobrii et parum minii, et conficies colorem qui dicitur rosa; unde rubricabis utramque maxillam, os et mentum inferius, collum et rugas frontis modice, ipsam frontem super tempora utraque parte, nasum in longitudine et super nares utraque parte, articulos et cetera membra in nudo corpore.

c. 5
Post haec misce cum simplici membrana cerosam tritam et compone colorem qui dicitur lumina; inde illuminabis supercilia et nasum in longitudine et super foramina narium utraque parte subtiles tractus circa oculos et tempora inferius et mentum superius et iuxta nares et os utraque parte, frontem superius inter rugas frontis modice, et collum in medio, et circa aures, articulos manuum et pedum, et omnem rotunditatem manuum et pedum et brachiorum in medio.

c. 6
Deinde commisce nigrum cum modico albo quod vocatur veneda, et inde imple pupillas oculorum; adde ei etiam de albo amplius et imple oculos utraque parte, et album simplex lineis inter pupillam et ipsum colorem, et cum aqua lavabis. + lineis

c. 7
Post haec accipe posch de quo supra dictum est, et admisce ei amplius de prasino et rubeo, ita ut umbra sit obscurioris coloris, et imple medium spatium inter supercilia et oculos et sub oculis